

## APVLEI PSYCHE ET CVPIDO

1 [4.28] Erant in quadam civitate rex et regina. hi tres numero filias forma conspicuas  
2 habuere, sed maiores quidem natu, quamvis gratissima specie, idonee tamen  
3 celebrari posse laudibus humanis credebantur, at vero puellae iunioris tam  
4 praecipua, tam praeclara pulchritudo nec exprimi ac ne sufficienter quidem laudari  
5 sermonis humani penuria poterat. multi denique civium et advenae copiosi, quos  
6 eximii spectaculi rumor studiosa celebritate congregabat, inaccessibleis formositatis  
7 admiratione stupidi et admoventes oribus suis dexteram primore digito in erectum  
8 pollicem residente ut ipsam prorsus deam Venerem venerabantur religiosi  
9 adorationibus. iamque proximas civitates et attiguas regiones fama pervaserat deam,  
10 quam caeruleum profundum pelagi peperit et ros spumantium fluctuum educavit,  
11 iam numinis sui passim tributa venia in mediis conversari populi coetibus, vel certe  
12 rursus novo caelestium stillarum germine non maria sed terras Venerem aliam  
13 virginali flore praeditam pullulasse.

14 [29] Sic immensum procedit in dies opinio, sic insulas iam proximas et terrae  
15 plusculum provinciasque plurimas fama porrecta pervagatur. iam multi mortalium  
16 longis itineribus atque altissimis maris meatibus ad saeculi specimen gloriosum  
17 confluebant. Paphon nemo, Cnidon nemo ac ne ipsa quidem Cythera ad conspectum  
18 deae Veneris navigabant; sacra praetereuntur, templa deformantur, pulvinaria  
19 proteruntur, caerimoniae negleguntur; incoronata simulacra et arae viduae frigido  
20 cinere foedatae. puellae supplicatur et in humanis vultibus deae tantae numina  
21 placantur, et in matutino progressu virginis victimis et epulis Veneris absentis  
22 nomen propitiatur, iamque per plateas commeantem populi frequenter floribus sertis  
23 et solutis adprecantur. haec honorum caelestium ad puellae mortalis cultum  
24 inmodica translatio verae Veneris vehementer incendit animos et inpatiens  
25 indignationis capite quassanti fremens altius sic secum disserit:

26 [30] 'En rerum naturae prisca parens, en elementorum origo initialis, en orbis totius  
27 alma Venus, quae cum mortali puella partiaro maiestatis honore tractor. et nomen  
28 meum caelo conditum terrenis sordibus profanatur! nimirum communi numinis  
29 piamiento vicariae venerationis incertum sustinebo et imaginem meam circumferet

30 puella moritura. frustra me pastor ille, cuius iustitiam fidemque magnus  
31 comprobavit Iuppiter, ob eximiam speciem tantis praetulit deabus. sed non adeo  
32 gaudens ista, quaecumque est, meos honores usurpabit: iam faxo huius etiam ipsius  
33 inlicitae formositatis paeniteat.' et vocat confestim puerum suum pinnatum illum et  
34 satis temerarium, qui malis suis moribus contempta disciplina publica, flammis et  
35 sagittis armatus, per alienas domos nocte discurrens et omnium matrimonia  
36 corrumpens impune committit tanta flagitia et nihil prorsus boni facit. hunc,  
37 quanquam genuina licentia procacem, verbis quoque insuper stimulat et perducit ad  
38 illam civitatem et Psychen—hoc enim nomine puella nuncupabatur—[31] coram  
39 ostendit et tota illa perlata de formositatis aemulatione fabula gemens ac fremens  
40 indignatione: 'per ego te,' inquit, 'maternae caritatis foedera deprecor, per tuae  
41 sagittae dulcia vulnera, per flammae istius mellitas uredines, vindictam tuae parenti,  
42 sed plenam tribue et in pulchritudinem contumacem severiter vindica; idque unum  
43 et pro omnibus unicum volens effice: virgo ista amore flagrantissimo teneatur  
44 hominis extremi, quem et dignitatis et patrimonii simul et incolumitatis ipsius  
45 Fortuna damnavit, tamque infimi ut per totum orbem non inveniatur miseriae suae  
46 comparem.' sic effata et osculis hiantibus filium diu ac pressule saviata proximas oras  
47 reflui litoris petit plantisque roseis vibrantium fluctuum summo rore calcato ecce iam  
48 profundi maris sudo resedit vertice. et ipsum quod incipit velle en statim, quasi  
49 pridem praeceperit, non moratur marinum obsequium. adsunt Nerei filiae chorum  
50 canentes et Portunus caeruleis barbibus hispidus et gravis piscoso sinu Salacia et auriga  
51 parvulus delphini Palaemon. iam passim maria persultantes Tritonum catervae: hic  
52 concha sonaci leniter bucinat, ille serico tegmine flagrantiae solis obsistit inimici,  
53 alius sub oculis dominae speculum progerit, curru biiuges alii subnatant. talis ad  
54 Oceanum pergentem Venerem comitatur exercitus.

55 [32] Interea Psyche cum sua sibi perspicua pulchritudine nullum decoris sui fructum  
56 percipit. spectatur ab omnibus, laudatur ab omnibus, nec quisquam non rex, non  
57 regius, nec de plebe saltem cupiens eius nuptiarum petitor accedit. mirantur quidem  
58 divinam speciem, sed ut simulacrum fabre politum mirantur omnes. olim duae  
59 maiores sorores, quarum temperatam formositatem nulli diffamarant populi, procis  
60 regibus desponsae iam beatas nuptias adeptae, sed Psyche virgo vidua domi residens  
61 deflet desertam suam solitudinem aegra corporis, animi saucia, et quamvis gentibus

62 totis complacitam odit in se suam formonsitatem. sic infortunatissimae filiae  
63 miserrimus pater suspectatis caelestibus odiis et irae superum metuens, dei Milesii  
64 vetustissimum percontatur oraculum et a tanto numine precibus et victimis ingratae  
65 virgini petit nuptias et maritum. sed Apollo, quanquam Graecus et Ionicus, propter  
66 Milesiae conditorem sic Latina sorte respondit:

67 [33] 'montis in excelsi scopulo, rex, siste puellam  
68 ornatum mundo funerei thalami.  
69 nec speres generum mortali stirpe creatum,  
70 sed saevum atque ferum vipereumque malum,  
71 quod pinnis volitans super aethera cuncta fatigat  
72 flammaque et ferro singula debilitat,  
73 quod tremit ipse Iovis, quo numina terrificantur  
74 fluminaque horrescunt et Stygiae tenebrae.'

75 Rex olim beatus affatu sanctae vaticinationis accepto pigens tristisque retro domum  
76 pergat suaeque coniugi praecepta sortis enodat infaustae. maeretur, fletur, lamentatur  
77 diebus plusculis. sed dirae sortis iam urget taeter effectus. iam feralium nuptiarum  
78 miserrimae virgini choragium struitur, iam taedae lumen atrae fuliginis cinere  
79 marcescit, et sonus tibiae zygiae mutatur in querulum Ludii modum cantusque  
80 laetus hymenaei lugubri finitur ululatu et puella nuptura deterget lacrimas ipso suo  
81 flammeo. sic adfectae domus triste fatum cuncta etiam civitas congemebat luctuque  
82 publico confestim congruens edicitur iustitium.

83 [34] Sed monitis caelestibus parendi necessitas misellam Psychen ad destinatum  
84 poenam efflagitabat. perfectis igitur feralis thalami cum summo maerore sollemnibus  
85 toto prosequente populo vivum producitur funus et lacrimosa Psyche comitatur non  
86 nuptias sed exequias suas. ac dum maesti parentes et tanto malo perciti nefarium  
87 facinus perficere cunctantur, ipsa illa filia talibus eos adhortatur vocibus: 'Quid  
88 infelicem senectam fletu diutino cruciatis? quid spiritum vestrum, qui magis meus  
89 est, crebris eiulatibus fatigatis? quid lacrimis inefficacibus ora mihi veneranda  
90 foedatis? quid laceratis in vestris oculis mea lumina? quid canitiem scinditis? quid  
91 pectora, quid ubera sancta tunditis? haec erunt vobis egregiae formonsitatis meae  
92 praeclara praemia. invidiae nefariae letali plaga percussi sero sentitis. cum gentes et

93 populi celebrarent nos divinis honoribus, cum novam me Venerem ore consono  
94 nuncuparent, tunc dolere, tunc flere, tunc me iam quasi peremptam lugere debuistis.  
95 iam sentio, iam video solo me nomine Veneris perisse. ducite me et cui sors addixit  
96 scopulo sistite. festino felices istas nuptias obire, festino generosum illum maritum  
97 meum videre. quid differo, quid detrecto venientem, qui totius orbis exitio natus est?'

98 [35] Sic profata virgo conticuit ingressuque iam valido pompae populi prosequentis  
99 sese miscuit. itur ad constitutum scopulum montis ardui, cuius in summo cacumine  
100 statutam puellam cuncti deserunt, taedasque nuptiales, quibus praeluxerant, ibidem  
101 lacrimis suis extinctas relinquentes deiectis capitibus domuitionem parant. et miseri  
102 quidem parentes eius tanta clade defessi, clausae domus abstrusi tenebris, perpetuae  
103 nocti sese dedidere. Psychen autem paventem ac trepidam et in ipso scopuli vertice  
104 deflentem mitis aura molliter spirantis Zephyri, vibratis hinc inde laciniis et reflato  
105 sinu sensim levatam suo tranquilllo spiritu vehens paulatim per devexa rupis  
106 excelsae, vallis subditae florentis cespitis gremio leniter delapsam reclinat.

107 [5.1] Psyche teneris et herbosis locis in ipso toro roscidi graminis suave recubans,  
108 tanta mentis perturbatione sedata, dulce conquievit. iamque sufficienti recreata  
109 somno placido resurgit animo. videt lucum proceris et vastis arboribus consitum,  
110 videt fontem vitreo latice perlucidum medio luci meditullio. prope fontis adlapsum  
111 domus regia est, aedificata non humanis manibus sed divinis artibus. iam scies ab  
112 introitu primo dei cuiuspianm luculentum et amoenum videre te diversorium. nam  
113 summa laquearia citro et ebore curiose cavata subeunt aureae columnae, parietes  
114 omnes argenteo caelamine conteguntur bestiis et id genus pecudibus occurrentibus  
115 ob os introeuntium. mirus prorsum homo, immo semideus vel certe deus qui  
116 [magnae artis] suptilitate tantum efferavit argentum. enimvero pavimenta ipsa  
117 lapide pretioso caesim deminuto in varia picturae genera discriminantur:  
118 vehementer, iterum ac saepius beatos illos, qui super gemmas et monilia calcant. iam  
119 ceterae partes longe lateque dispositae domus sine pretio pretiosae totique parietes  
120 solidati massis aureis splendore proprio coruscant, ut diem suum sibi domus faciat  
121 licet sole nolente: sic cubicula, sic porticus, sic ipsae balneae fulgurant. nec setius  
122 opes ceterae maiestati domus respondent, ut equidem illud recte videatur ad  
123 conversationem humanam magno Iovi fabricatum caeleste palatium.

124 [2] Invitata Psyche talium locorum oblectatione propius accessit et paulo fidentior  
125 intra limen sese facit; mox prolectante studio pulcherrimae visionis rimatur singula  
126 et altrinsecus aedium horrea sublimi fabrica perfecta magnisque congesta gazis  
127 conspicit. nec est quicquam quod ibi non est. sed praeter ceteram tantarum  
128 divitiarum admirationem hoc erat praecipue mirificum, quod nullo vinculo, nullo  
129 claustro, nullo custode totius orbis thesaurus ille muniebatur. haec ei summa cum  
130 voluptate visenti offert sese vox quaedam corporis sui nuda et 'quid,' inquit, 'domina,  
131 tantis obstupescis opibus? tua sunt haec omnia. prohinc cubiculo te refer et lectulo  
132 lassitudinem refove et ex arbitrio lavacrum pete. nos, quarum voces accipis, tuae  
133 famulae sedulo tibi praeministrabimus nec corporis curatae tibi regales epulae  
134 morabuntur.

135 [3] Sensit Psyche divinae providentiae beatitudinem monitusque, voces informes  
136 audiens, et prius somno et mox lavacro fatigationem sui diluit, visoque statim  
137 proximo semirotondo suggestu, propter instrumentum cenatorium rata refectui suo  
138 commodum, libens accumbit. et ilico vini nectarei eduliumque variorum fercula  
139 copiosa nullo serviente, sed tantum spiritu quodam impulsa subministrantur. nec  
140 quemquam tamen illa videre poterat, sed verba tantum audiebat excidentia et solas  
141 voces famulas habebat. post opimas dapes quidam introcessit et cantavit invisus, et  
142 alius citharam pulsavit, quae videbatur nec ipsa. tunc modulatae multitudinis  
143 conferta vox aures eius affertur, ut, quamvis hominum nemo pareret, chorus tamen  
144 esse pateret.

145 [4] Finitis voluptatibus vespera suadente concedit Psyche cubitum. iamque provecta  
146 nocte clemens quidam sonus aures eius accedit. tunc virginitati suae pro tanta  
147 solitudine metuens et pavet et horrescit et quovis malo plus timet quod ignorat.  
148 iamque aderat ignobilis maritus et torum inscenderat et uxorem sibi Psychen fecerat  
149 et ante lucis exortum propere discesserat. statim voces cubiculo praestolatae novam  
150 nuptam interfectae virginitatis curant. haec diutino tempore sic agebantur. atque ut  
151 est natura redditum, novitas per assiduam consuetudinem delectationem ei  
152 commendarat et sonus vocis incertae solitudinis erat solacium.

153 Interea parentes eius indefesso luctu atque maerore consenescebant, latiusque  
154 porrecta fama sorores illae maiores cuncta cognorant propereque maestae atque

155 lugubres deserto lare certatim ad parentum suorum conspectum adfatumque  
156 perrexerant.

157 [5] Ea nocte ad suam Psychen sic inquit maritus namque praeter oculos et manibus et  
158 auribus is [nihil minus] sentiebatur: 'Psyche dulcissima et cara uxor, exitiabile tibi  
159 periculum minatur fortuna saevior quod observandum pressiore cautela censeo.  
160 sorores iam tuae mortis opinione turbatae tuumque vestigium requirentes scopulum  
161 istum protinus aderunt, quarum si quas forte lamentationes acceperis, neque  
162 respondeas, immo nec prospicias omnino; ceterum mihi quidem gravissimum  
163 dolorem, tibi vero summum creabis exitium.' Annuit et ex arbitrio mariti se facturam  
164 spondit, sed eo simul cum nocte dilapso diem totum lacrimis ac plangoribus  
165 misella consumit, se nunc maxime prorsus perisse iterans, quae beati carceris  
166 custodia septa et humanae conversationis colloquio viduata nec sororibus quidem  
167 suis de se maerentibus opem salutarem ferre ac ne videre eas quidem omnino posset.  
168 nec lavacro nec cibo nec ulla denique refectione recreata flens ubertim decessit ad  
169 somnum.

170 [6] Nec mora cum paulo maturius lectum maritus accubans eamque etiam nunc  
171 lacrimantem complexus sic exoptat: 'Haecine mihi pollicebare, Psyche mea? quid  
172 iam de te tuus maritus expecto, quid spero? et perdia et pernox nec inter amplexus  
173 conjugales desinis cruciatum. age iam nunc ut voles, et animo tuo damnosa poscenti  
174 pareto! tantum memineris meae seriae monitionis, cum coeperis sero paenitere.' Tunc  
175 illa precibus et dum se morituram comminatur extorquet a marito cupitis adnuat, ut  
176 sorores videat, luctus mulceat, ora conferat. sic ille novae nuptae precibus veniam  
177 tribuit et insuper, quibuscumque vellet eas auri vel monilium donare concessit, sed  
178 identidem monuit ac saepe terruit, ne quando sororum pernicioso consilio suasa de  
179 forma mariti quaerat, neve se sacrilega curiositate de tanto fortunarum suggestu  
180 pessum deiciat nec suum postea contingat amplexum. gratias egit marito iamque  
181 laetior animo 'sed prius,' inquit, 'centies moriar quam tuo isto dulcissimo conubio  
182 caream. amo enim et efflictim te, quicumque es, diligo aequae ut meum spiritum, nec  
183 ipsi Cupidini comparo. sed istud etiam meis precibus, oro, largire et illi tuo famulo  
184 Zephyro praecipe, simili vectura sorores hic mihi sistat'; et imprimens oscula  
185 suasoria et ingerens verba mulcentia et inserens membra cogentia haec etiam

186 blanditiis astruit: 'mi mellite, mi marite, tuae Psychae dulcis anima.' vi ac potestate  
187 Venerii susurrus invitus succubuit maritus et cuncta se facturum spondit atque,  
188 etiam luce proxumante, de manibus uxoris evanuit.

189 [7] At illae sorores percontatae scopulum locumque illum, quo fuerat Psyche deserta,  
190 festinanter adveniunt ibique difflebant oculos et plangebant ubera, quoad crebris  
191 earum eiulatibus saxa cautesque parilem sonum resultarent. iamque nomine proprio  
192 sororem miseram ciebant, quoad sono penetrabili vocis ululabilis per prona delapso  
193 amens et trepida Psyche procurrit e domo et 'quid,' inquit, 'vos miseris  
194 lamentationibus necquicquam effligitis? quam lugetis, adsum. lugubres voces  
195 desinite et diutinis lacrimis madentes genas siccate tandem, quippe cum iam possitis  
196 quam plangebatis amplecti.' Tunc vocatum Zephyrum praecepti maritalis admonet.  
197 nec mora cum ille parens imperio statim clementissimis flatibus innoxia vectura  
198 deportat illas. iam mutuis amplexibus et festinantibus saviis sese perfruuntur et illae  
199 sedatae lacrimae postliminio redeunt prolectante gaudio. 'sed et tectum,' inquit, 'et  
200 larem nostrum laetae succedite et afflictas animas cum Psyche vestra recreate.'

201 [8] Sic allocuta summas opes domus aureae vocumque servientium populosam  
202 familiam demonstrat auribus earum lavacroque pulcherrimo et inhumanae mensae  
203 lautitiis eas opipare reficit, ut illarum prorsus caelestium divitiarum copiis  
204 affluentibus satiatae iam praecordiis penitus nutrirent invidiam. denique altera  
205 earum satis scrupulose curioseque percontari non desinit, quis illarum caelestium  
206 rerum dominus, quisve vel qualis ipsius sit maritus. nec tamen Psyche coniugale  
207 illud praeceptum ullo pacto temerat vel pectoris arcanis exigit, sed e re nata confingit  
208 esse iuvenem quendam et speciosum, commodum lanoso barbitio genas  
209 inumbrantem, plerumque rurestribus ac montanis venatibus occupatum. Et ne qua  
210 sermonis procedentis labe consilium tacitum proderetur, auro facto gemmosisque  
211 monilibus onustas eas statim vocato Zephyro tradit reportandas.

212 [9] Quo protinus perpetrato sorores egregiae domum redeutes iamque gliscentis  
213 invidiae felle flagrantibus multa secum sermonibus mutuis perstrepebant. sic denique  
214 infit altera: 'En orba et saeva et iniqua Fortuna! hocine tibi complacuit, ut utroque  
215 parente prognatae diversam sortem sustineremus? et nos quidem, quae natu maiores  
216 sumus, maritis advenis ancillae deditae, extorres et lare et ipsa patria degamus longe

217 parentum velut exulantes, haec autem novissima, quam fetu satiante postremus  
218 partus effudit, tantis opibus et deo marito potita sit, quae nec uti recte tanta bonorum  
219 copia novit? vidisti, soror, quanta in domo iacent et qualia monilia, quae praenitent  
220 vestes, quae splendent gemmae, quantum praeterea passim calcatur aurum. quodsi  
221 maritum etiam tam formosum tenet, ut affirmat, nulla nunc in orbe toto felicius  
222 vivit. fortassis tamen procedente consuetudine et adfectione roborata deam quoque  
223 illam deus maritus efficiet. sic est hercules, sic se gerebat ferebatque. iam iam sursum  
224 respicit et deam spirat mulier, quae voces ancillas habet et ventis ipsis imperitat. at  
225 ego misera primum patre meo seniore marito sortita sum, dein cucurbita  
226 calviorem et quovis puero pusilliore, cunctam domum seris et catenis obditam  
227 custodientem.'

228 [10] Suscipit alia: 'ego vero maritum articulari etiam morbo complicatum  
229 curvatumque ac per hoc rarissimo Venerem meam recolentem sustineo, plerumque  
230 detortos et duratos in lapidem digitos eius perfricans, fomentis olidis et pannis  
231 sordidis et foetidis cataplasmatibus manus tam delicatas istas adurens nec uxoris  
232 officiosam faciem sed medicae laboriosam personam sustinens. et tu quidem, soror,  
233 videris, quam patienti vel potius servili—dicam enim libere quod sentio—haec  
234 perferas animo; enimvero ego nequeo sustinere ulterius tam beatam fortunam  
235 conlapsam indignae. recordare enim, quam superbe, quam adroganter nobiscum  
236 egerit et ipsa iactatione inmodicae ostentationis tumentem suum prodiderit animum,  
237 deque tantis divitiis exigua nobis invita proiecerit confestimque praesentia nostra  
238 gravata propelli et efflari exhibitarique nos iusserit. nec sum mulier nec omnino spiro,  
239 nisi eam pessum de tantis opibus deiecero. ac si tibi etiam, ut par est, inacuit nostra  
240 contumelia, consilium validum requiramus ambae. iamque ista, quae ferimus, non  
241 parentibus nostris ac nec ulli monstremus alii, immo nec omnino quicquam de eius  
242 salute norimus. sat est, quod ipsae vidimus quae vidisse paenituit, nedum ut  
243 genitoribus et omnibus populis tam beatum eius differamus praeconium. nec sunt  
244 enim beati, quorum divitias nemo novit. sciet se non ancillas sed sorores habere  
245 maiores. et nunc quidem concedamus ad maritos et lares pauperes nostros sed plane  
246 sobrios revisamus diuque cogitationibus pressioribus instructae ad superbiam  
247 poeniendam firmiores redeamus.'



248 [11] Placet pro bono duabus malis malum consilium totisque illis tam pretiosis  
249 muneribus absconditis comam trahentes et proinde ut merebantur ora lacerantes  
250 simulatos redintegrant fletus. ac sic parentes quoque redulcerato prorsum dolore  
251 raptim deterrentes vesania turgidae domus suas contendunt dolum scelestum, immo  
252 vero parricidium, struentes contra sororem insontem.

253 Interea Psychen maritus ille, quem nescit, rursus suis illis nocturnis sermonibus sic  
254 commonet: 'videsne, quantum tibi periculum? velitatur Fortuna eminus, ac nisi longe  
255 firmiter praecaves, mox comminus congregietur. perfidae lupulae magnis conatibus  
256 nefarias insidias tibi comparant, quarum summa est, ut te suadeant meos explorare  
257 vultus, quos, ut tibi saepe praedixi, non videbis si videris. ergo igitur si posthac  
258 pessimae illae lamiae noxiis animis armatae venerint—venient autem, scio—neque  
259 omnino sermonem conferas et si id tolerare pro genuina simplicitate proque animi  
260 tui teneritudine non potueris, certe de marito nil quicquam vel audias vel  
261 respondeas. nam et familiam nostram iam propagabimus et hic adhuc infantilis  
262 uterus gestat nobis infantem alium, si texeris nostra secreta silentio, divinum, si  
263 profanaveris, mortalem.'

264 [12] Nuntio Psyche laeta florebat et divinae subolis solacio plaudebat et futuri  
265 pignoris gloria gestiebat et materni nominis dignitate gaudebat. crescentes dies et  
266 menses exeuntes anxia numerat et sarcinae nesciae rudimento miratur de brevi  
267 punctulo tantum incrementulum locupletis uteri.

268 Sed iam pestes illae taeterrimaeque Furiae anhelantes vipereum virus et festinantes  
269 impia celeritate navigabant. tunc sic iterum momentarius maritus suam Psychen  
270 admonet: 'dies ultima et casus extremus est: sexus infestus et sanguis inimicus iam  
271 sumpsit arma et castra commovit et aciem direxit et classicum personavit; iam  
272 mucrone dextrico iugulum tuum nefariae tuae sorores petunt. heu quantis  
273 urguemur cladibus, Psyche dulcissima. tui nostrique miserere religiosaque  
274 continentia domum, maritum, teque et istum parvulum nostrum imminentis ruinae  
275 infortunio libera. nec illas scelestas feminas, quas tibi post internecivum odium et  
276 calcata sanguinis foedera sorores appellare non licet, vel videas vel audias, cum in  
277 morem Sirenum scopulo prominentes funestis vocibus saxa personabunt.'

278 [13] Suscipit Psyche singultu lacrimoso sermonem incertans: 'iam dudum, quod  
279 sciam, fidei atque parciloquio meo perpendisti documenta, nec eo setius  
280 adprobabitur tibi nunc etiam firmitas animi mei. tu modo Zephyro nostro rursum  
281 praecipe, fungatur obsequio, et in vicem denegatae sacrosanctae imaginis tuae redde  
282 saltem conspectum sororum. per istos cinnameos et undique pendulos crines tuos,  
283 per teneras et teretis et mei similes genas, per pectus nescio quo calore fervidum, sic  
284 in hoc saltem parvulo cognoscam faciem tuam: supplicis anxiae piis precibus  
285 erogatus, germani complexus indulge fructum et tibi devotae Psychae animam  
286 gaudio recrea. nec quicquam amplius in tuo vultu requiro. iam nil officiant mihi nec  
287 ipsae nocturnae tenebrae: teneo te, meum lumen.'

288 His verbis et amplexibus mollibus decantatus maritus lacrimasque eius suis crinibus  
289 detergens se facturum spondit et praevertit statim lumen nascentis diei.

290 [14] Iugum sororium consponsae factionis ne parentibus quidem visis recta de  
291 navibus scopulum petunt illum praecipiti cum velocitate nec venti ferentis oppertae  
292 praesentiam licentiosa cum temeritate prosiliunt in altum. nec immemor Zephyrus  
293 regalis edicti, quamvis invitus, susceptas eas gremio spirantis aurae solo reddidit. at  
294 illae incunctatae statim conferto vestigio domum penetrant complexaeque praedam  
295 suam sororis nomen ementientes thensaurumque penitus abditae fraudis vultu laeto  
296 tegentes sic adulant: 'Psyche, non ita ut pridem parvula, et ipsa iam mater es.  
297 quantum, putas, boni nobis in ista geris perula; quantis gaudiis totam domum  
298 nostram hilarabis. o nos beatas, quas infantis aurei nutrimenta laetabunt. qui si  
299 parentum, ut oportet, pulchritudini responderit, prorsus Cupido nascetur.'

300 [15] Sic adfectione simulata paulatim sororis invadunt animum. statimque eas  
301 lassitudine viae sedilibus refotas et balnearum vaporosis fontibus curatas  
302 pulcherrime triclinio mirisque illis et beatis edulibus atque tucctis oblectat. iubet  
303 citharam loqui: psallitur; tibias agere: sonatur; choros canere: cantatur. quae cuncta  
304 nullo praesente dulcissimis modulis animos audientium remulcebant. nec tamen  
305 scelestarum feminarum nequitia vel illa mellita cantus dulcedine mollita conquievit,  
306 sed ad destinatam fraudum pedicam sermonem conferentes dissimulanter occipiunt  
307 sciscitari, qualis ei maritus et unde natalium, secta cuius proveniret. tunc illa  
308 simplicitate nimia pristini sermonis oblita novum commentum instruit atque

309 maritum suum de provincia proxima magnis pecuniis negotiantem iam medium  
310 cursum aetatis agere, interspersum rara canitie. nec in sermone isto tantillum morata  
311 rursus opiparis muneribus eas onustas ventoso vehiculo reddidit.

312 [16] Sed dum Zephyri tranquillo spiritu sublimatae domum redeunt, sic secum  
313 altercantes: 'quid, soror, dicimus de tam monstruoso fatuae illius mendacio? tunc  
314 adolescens modo florenti lanugine barbam instruens, nunc aetate media candenti  
315 canitie lucidus. quis ille, quem temporis modici spatium repentina senecta  
316 reformavit? nil aliud repperies, mi soror, quam vel mendacia istam pessimam  
317 feminam confingere vel formam mariti sui nescire; quorum utrum verum est, opibus  
318 istis quam primum exterminanda est. quodsi viri sui faciem ignorat, deo profecto  
319 denupsit et deum nobis praegnatione ista gerit. certe si divini puelli—quod absit—  
320 haec mater audierit, statim me laqueo nexili suspendam. ergo interim ad parentes  
321 nostros redeamus et exordio sermonis huius quam concolores fallacias adtexamus.'

322 [17] Sic inflammatae, parentibus fastidienter appellatis et nocte turbatae vigiliis,  
323 perditae matutino scopulum pervolant et inde solito venti praesidio vehementer  
324 devolant lacrimisque pressura palpebrarum coactis hoc astu puellam appellant: 'tu  
325 quidem felix et ipsa tanti mali ignorantia beata sedes incuriosa periculi tui, nos  
326 autem, quae pervigili cura rebus tuis excubamus, cladibus tuis misere cruciamur. pro  
327 vero namque comperimus, nec te, sociae scilicet doloris casusque tui, celare  
328 possumus, immanem colubrum multinodis voluminibus serpentem, veneno noxio  
329 colla sanguinantem hiantemque ingluvie profunda, tecum noctibus latenter  
330 adquiescere. nunc recordare sortis Pythicae, quae te trucis bestiae nuptiis destinata  
331 esse clamavit. et multi coloni quique circumsecus venantur et accolae plurimi  
332 viderunt eum vespera redeuntem e pastu proximique fluminis vadis innatantem.

333 [18] 'nec diu blandis alimoniarum obsequiis te saginaturum omnes adfirmant, sed,  
334 cum primum praegnationem tuam plenus maturaverit uterus, opimio fructu  
335 praeditam devoraturum. ad haec iam tua est existimatio, utrum sororibus pro tua  
336 cara salute sollicitis adsentiri velis et declinata morte nobiscum secunda periculi  
337 vivere, an saevissimae bestiae sepeliri visceribus. quodsi te ruris huius vocalis  
338 solitudo, vel clandestinae Veneris faetidi periculosique concubitus et venenati  
339 serpentis amplexus delectant, certe piae sorores nostrum fecerimus.'

340 Tunc Psyche misella, utpote simplex et animi tenella, rapitur verborum tam tristium  
341 formidine: extra terminum mentis suae posita prorsus omnium mariti monitionum  
342 suarumque promissionum memoriam effudit et in profundum calamitatis sese  
343 praecipitavit, tremensque et exanguis colore lurida tertiata verba semihianti voce  
344 substrepens sic ad illas ait:

345 [19] 'Vos quidem, carissimae sorores, ut par erat, in officio vestrae pietatis  
346 permanetis, verum et illi, qui talia vobis adfirmant, non videntur mihi mendacium  
347 fingere. nec enim umquam viri mei vidi faciem vel omnino cuiatis sit novi, sed  
348 tantum nocturnis subaudiens vocibus maritum incerti status et prorsus lucifugam  
349 tolero bestiamque aliquam recte dicentibus vobis merito consentio. meque  
350 magnopere semper a suis terret aspectibus malumque grande de vultus curiositate  
351 praeminatur. nunc si quam salutarem opem periclitanti sorori vestrae potestis  
352 adferre, iam nunc subsistite; ceterum incuria sequens prioris providentiae beneficia  
353 conrumpet.'

354 Tunc nactae iam portis patentibus nudatum sororis animum facinerosae mulieres,  
355 omissis tectae machinae latibulis, dstrictis gladiis fraudium simplicis puellae  
356 paventes cogitationes invadunt.

357 [20] Sic denique altera: 'quoniam nos originis nexus pro tua incolumitate periculum  
358 quidem ullum ante oculos habere compellit, viam, quae sola deducit iter ad salutem,  
359 diu diuque cogitatam monstrabimus tibi. novaculam praeacutam, adpulsu etiam  
360 palmulae lenientis exasperatam, tori qua parte cubare consuesti, latenter absconde  
361 lucernamque concinnem, completam oleo, claro lumine praemicantem subde aliquo  
362 claudentis aululae tegmine. omnique isto apparatu tenacissime dissimulato,  
363 postquam sulcatos intrahens gressus cubile solitum conscenderit, iamque porrectus  
364 et exordio somni prementis implicitus altum soporem flare coeperit, toro delapsa  
365 nudoque vestigio pensilem gradum paullulatim minuens, caecae tenebrae custodia  
366 liberata lucerna, praeclari tui facinoris opportunitatem de luminis consilio mutuare et  
367 ancipiti telo illo audaciter, prius dextera sursum elata, nisu quam valido noxii  
368 serpentis nodum cervicis et capitis abscede. nec nostrum tibi deerit subsidium; sed  
369 cum primum illius morte salutem tibi feceris, anxiae praestolatae advolabimus  
370 cunctisque istis opibus tecum relatis, votivis nuptiis hominem te iungemus homini.'

371 [21] Tali verborum incendio flammata viscera sororis iam prorsus ardentis deserentes  
372 ipsae protinus, tanti mali confinium sibi etiam eximie metuentes, flatus alitis impulsu  
373 solito provectae super scopulum ilico pernici se fuga proripiunt statimque conscensis  
374 navibus abeunt.

375 at Psyche relicta sola, nisi quod infestis Furiis agitata sola non est, aestu pelagi simile  
376 maerendo fluctuat et, quamvis statuto consilio et obstinato animo, iam tamen facinori  
377 manus admovens adhuc incerta consilii titubat multisque calamitatis suae distrahitur  
378 affectibus. festinat differt, audet trepidat, diffidit irascitur et, quod est ultimum, in  
379 eodem corpore odit bestiam, diligit maritum. vespera tamen iam noctem trahente  
380 praecipiti festinatione nefarii sceleris instruit apparatus. nox aderat et maritus  
381 aderat priusque Veneris proeliis velitatus in altum soporem descenderat.

382 [22] Tunc Psyche, et corporis et animi alioquin infirma, fati tamen saevitia  
383 subministrante viribus roboratur et prolata lucerna et adrepta novacula sexum  
384 audacia mutatur. sed cum primum luminis oblatione tori secreta claruerunt, videt  
385 omnium ferarum mitissimam dulcissimamque bestiam, ipsum illum Cupidinem  
386 formosum deum formosae cubantem, cuius aspectu lucernae quoque lumen  
387 hilaratum increbruit et acuminis sacrilegi novaculam paenitebat. at vero Psyche tanto  
388 aspectu deterrita et impos animi, marcido pallore defecta tremensque desedit in imos  
389 poplites et ferrum quaerit abscondere, sed in suo pectore; quod profecto fecisset, nisi  
390 ferrum timore tanti flagitii manibus temerariis delapsum evolasset. iamque lassa,  
391 salute defecta, dum saepius divini vultus intuetur pulchritudinem, recreatur animi.

392 Videt capitis aurei genialem caesariem ambrosia temulentam, cervices lacteas  
393 genasque purpureas pererrantes crinium globos decoriter impeditos, alios  
394 antependulos, alios retropendulos, quorum splendore nimio fulgurante iam et ipsum  
395 lumen lucernae vacillabat. per umeros volatilis dei pinnae roscidae micanti flore  
396 candicant et quamvis alis quiescentibus extimae plumulae tenellae ac delicatae  
397 tremule resultantes inquieta lasciviunt. ceterum corpus glabellum atque luculentum  
398 et quale peperisse Venerem non paeniteret. ante lectuli pedes iacebat arcus et  
399 pharetra et sagittae, magni dei propitia tela.

400 [23] Quae dum insatiabili animo Psyche, satis et curiosa, rimatur atque pertrectat et  
401 mariti sui miratur arma, depromit unam de pharetra sagittam et puncto pollicis  
402 extremam aciem periclitabunda trementis etiam nunc articuli nisu fortiore pupugit  
403 altius, ut per summam cutem roraverint parvulae sanguinis rosei guttae. sic ignara  
404 Psyche sponte in Amoris incidit amorem. tunc magis magisque cupidine flagrans  
405 Cupidinis, prona in eum efflictim inhians patulis ac petulantibus saviis festinanter  
406 ingestis, de somni mensura metuebat. sed dum bono tanto percita saucia mente  
407 fluctuat, lucerna illa sive perfidia pessima sive invidia noxia sive quod tale corpus  
408 contingere et quasi basiare et ipsa gestiebat, evomuit de summa luminis sui stillam  
409 ferventis olei super umerum dei dexterum. hem audax et temeraria lucerna et amoris  
410 vile ministerium, ipsum ignis totius deum aduris, cum te scilicet amator aliquis, ut  
411 diutius cupitis etiam nocte potiretur, primus invenerit. sic inustus exiluit deus  
412 visaque detectae fidei colluvie protinus ex oculis et manibus infelicissimae coniugis  
413 tacitus avolavit.

414 [24] At Psyche, statim resurgentis eius crure dextero manibus ambabus adrepto,  
415 sublimis evectionis appendix miseranda et per nubilas plagas penduli comitatus  
416 extrema consequia, tandem fessa delabitur solo. Nec deus amator humi iacentem  
417 deserens, involavit proximam cupressum deque eius alto cacumine sic eam graviter  
418 commotus adfatur:

419 'Ego quidem, simplicissima Psyche, parentis meae Veneris praeceptorum immemor,  
420 quae te miseri extremique hominis devinctam cupidine infimo matrimonio addici  
421 iusserat, ipse potius amator advolavi tibi. sed hoc feci leviter, scio, et praeclarus ille  
422 sagittarius ipse me telo meo percussi teque coniugem meam feci, ut bestia scilicet tibi  
423 viderer et ferro caput excideres meum, quod istos amatores tuos oculos gerit. haec  
424 tibi identidem semper cavenda censebam, haec benivole remonebam. sed illae  
425 quidem consiliatrices egregiae tuae tam perniciosi magisterii dabunt actutum mihi  
426 poenas, te vero tantum fuga mea punivero.' et cum termino sermonis pinnis in altum  
427 se proripuit.

428 [25] Psyche vero humi prostrata et quantum visu poterat volatus mariti prospiciens,  
429 extremis affligebat lamentationibus animum. sed ubi remigio plumae raptum  
430 maritum proceritas spatii fecerat alienum, per proximi fluminis marginem

431 praecipitem sese dedit. sed mitis fluvius, in honorem dei scilicet, qui et ipsas aquas  
432 urere consuevit, metuens sibi, confestim eam innoxio volumine super ripam  
433 florentem herbis exposuit. tunc forte Pan deus rusticus iuxta supercilium amnis  
434 sedebat, complexus Echo montanam deam eamque vuculas omnimodas edocens  
435 recinere. proxime ripam vago pastu lasciviunt comam fluvii tondentes capellae.  
436 hircuosus deus sauciam Psychen atque defectam, utcumque casus eius non inscius,  
437 clementer ad se vocatam sic permulcet verbis lenientibus:

438 'Puella scitula, sum quidem rusticanus et upilio, sed senectutis prolixae beneficio  
439 multis experimentis instructus. verum si recte coniecto, quod profecto prudentes viri  
440 divinationem autumant, ab isto titubante et saepius vacillante vestigio deque nimio  
441 pallore corporis et assiduo suspiritu, immo et ipsis maerentibus oculis tuis, amore  
442 nimio laboras. ergo mihi ausculta nec te rursus praecipitio vel ullo mortis accersitae  
443 genere perimas. luctum desine et pone maerorem, precibusque potius Cupidinem  
444 deorum maximum percole, et utpote adolescentem delicatum luxuriosumque blandis  
445 obsequiis promerere.'

446 [26] Sic locuto deo pastore nulloque sermone reddito, sed adorato tantum numine  
447 salutari, Psyche pergit ire. sed cum aliquam multum viae laboranti vestigio  
448 pererrasset, inscio quodam tramite iam die labente accedit quandam civitatem, in  
449 qua regnum maritus unius sororis eius optinebat. qua re cognita Psyche nuntiarum  
450 praesentiam suam sorori desiderat; mox inducta mutuis amplexibus alternae  
451 salutationis expletis, percontanti causas adventus sui sic incipit:

452 'Meministi consilium vestrum scilicet quo mihi suasistis ut bestiam, quae mariti  
453 mentito nomine mecum quiescebat, priusquam ingluvie voraci me misellam hauriret,  
454 ancipiti novacula peremerem. sed cum primum, ut aequae placuerat, conscio lumine  
455 vultus eius aspexi, video mirum divinumque prorsus spectaculum, ipsum illum deae  
456 Veneris filium, ipsum inquam Cupidinem, leni quiete sopitum. ac dum tanti boni  
457 spectaculo percita et nimia voluptatis copia turbata fruendi laborarem inopia, casu  
458 scilicet pessimo lucerna fervens oleum rebullivit in eius umerum. quo dolore statim  
459 somno recussus, ubi me ferro et igni conspexit armatam, 'tu quidem,' inquit, 'ob istud  
460 tam dirum facinus confestim toro meo divorte tibi res tuas habeto, ego vero

461 sororem tuam'—et nomen quo tu censeris aiebat—'iam mihi confarreatis nuptiis  
462 coniugabo.' et statim Zephyro praecipit ultra terminos me domus eius efflaret.'

463 [27] Necdum sermonem Psyche finierat, et illa vesanae libidinis et invidiae noxiae  
464 stimulis agitata, e re concinnato mendacio fallens maritum, quasi de morte parentum  
465 aliquid conperisset, statim navem ascendit et ad illum scopulum protinus pergit et  
466 quamvis alio flante vento, caeca spe tamen inhians, 'accipe me,' dicens, 'Cupido,  
467 dignam te coniugem et tu, Zephyre, suscipe dominam' saltu se maximo praecipitem  
468 dedit. nec tamen ad illum locum vel saltem mortua pervenire potuit. nam per saxa  
469 cautium membris iactatis atque dissipatis et, proinde ut merebatur, laceratis  
470 visceribus suis alitibus bestiisque obvium ferens pabulum interiit.

471 Nec vindictae sequentis poena tardavit. nam Psyche rursus errabundo gradu  
472 pervenit ad civitatem aliam, in qua pari modo soror morabatur alia. nec setius et ipsa  
473 fallacie germanitatis inducta et in sororis sceleratas nuptias aemula festinavit ad  
474 scopulum inque simile mortis exitium cecidit.

475 [28] Interim, dum Psyche quaesitioni Cupidinis intenta populos circumibat, ille  
476 vulnere lucernae dolens in ipso thalamo matris iacens ingemebat. tunc avis peralba  
477 illa gavia, quae super fluctus marinos pinnis natat, demergit sese propere ad Oceani  
478 profundum gremium. ibi commodum Venerem lavantem natantemque propter  
479 assistens indicat adustum filium eius, gravi vulneris dolore maerentem, dubium  
480 salutis iacere iamque per cunctorum ora populorum rumoribus conviciisque variis  
481 omnem Veneris familiam male audire, quod ille quidem montano scortatu, tu vero  
482 marino natatu secesseritis ac per hoc non voluptas ulla, non gratia, non lepos, sed  
483 incompta et agrestia et horrida cuncta sint, non nuptiae coniugales, non amicitiae  
484 sociales, non liberum caritates, sed enormis eluvies et squalentium foederum insuave  
485 fastidium. haec illa verbosa et satis curiosa avis in auribus Veneris fili lacerans  
486 existimationem ganniebat.

487 At Venus irata solidum exclamat repente: 'ergo iam ille bonus filius meus habet  
488 amicam aliquam? prome agedum, quae sola mihi servis amanter, nomen eius, quae  
489 puerum ingenuum et investem sollicitavit, sive illa de Nympharum populo seu de  
490 Horarum numero seu de Musarum choro vel de mearum Gratiarum ministerio.'



491 Nec loquax illa conticuit avis, sed 'nescio,' inquit, 'domina: puto puellam—si probe  
492 memini, Psyches nomine dicitur—efflicte cupere.'

493 Tunc indignata Venus exclamavit vel maxime: 'Psychen ille, meae formae succubam,  
494 mei nominis aemulam, si vere diligit, nimirum illud incrementum lenam me putavit,  
495 cuius monstratu puellam illam cognosceret.'

496 [29] Haec quiritans properiter emergit e mari suumque protinus aureum thalamum  
497 petit, et reperto sicut audierat aegroto puero, iam inde a foribus quam maxime boans,  
498 'honestam,' inquit, 'haec et natalibus nostris bonaeque tuae frugi congruentia, ut  
499 primum quidem tuae parentis—immo dominae—praecepta calcares, nec sordidis  
500 amoribus inimicam meam cruciaries, verum etiam hoc aetatis puer tuis licentiosis et  
501 immaturis iungeres amplexibus, ut ego nurum scilicet tolerarem inimicam? sed  
502 utique praesumis nugo et corruptor et inamabilis te solum generosum, nec me iam  
503 per aetatem posse concipere. velim ergo scias multo te meliorem filium alium  
504 genituram, immo ut contumeliam magis sentias, aliquem de meis adoptaturam  
505 vernulis eique donaturam istas pinnas et flammam et arcum et ipsas sagittas et  
506 omnem meam suppellectilem, quam tibi non ad hos usus dederam. nec enim de patris  
507 tui bonis ad instructionem istam quicquam concessum est.

508 [30] 'Sed male prima pueritia inductus es et acutas manus habes et maiores tuos  
509 irreverenter pulsasti totiens et ipsam matrem tuam, me inquam ipsam, parricida  
510 denudas cotidie et percussisti saepius et quasi viduam utique contemnis nec vitricum  
511 tuum fortissimum illum maximumque bellatorem metuis. quidni? cui saepius in  
512 angorem mei paelicatus puellas propinare consuisti. sed iam faxo te lusus huius  
513 paeniteat et sentias acidam et amaras istas nuptias. sed nunc inrisui habita quid agam?  
514 quo me conferam? quibus modis stelionem istum cohibeam? petamne auxilium ab  
515 inimica mea Sobrietate, quam propter huius ipsius luxuriam offendi saepius? at  
516 rusticae squalentisque feminae conloquium prorsus horresco. nec tamen vindictae  
517 solacium undeunde spernendum est. illa mihi prorsus adhibenda est nec ulla alia,  
518 quae castiget asperrime nugonem istum, pharetram explicet et sagittas dearmet,  
519 arcum enodet, taedam deflammet, immo et ipsum corpus eius acrioribus remediis  
520 coerceat. tunc iniuriae meae litatum crediderim, cum eius comas, quas istis manibus

521 meis subinde aureo nitore perstrinxi, deraserit, pinnas, quas meo gremio nectarei  
522 fontis infeci, praetotonderit.'

523 [31] Sic effata foras sese proripit infesta et stomachata biles venerias. sed eam  
524 protinus Ceres et Iuno continentur visamque vultu tumido quaesiere, cur truci  
525 supercilio tantam venustatem micantium oculorum coerceret. at illa 'oportune,'  
526 inquit, 'ardenti prorsus isto meo pectori violentiam scilicet perpetraturae venitis. sed  
527 totis, oro, vestris viribus Psychen illam fugitivam volaticam mihi requirite. nec enim  
528 vos utique domus meae famosa fabula et non dicendi filii mei facta latuerunt.'

529 Tunc illae, non ignarae quae gesta sunt, palpare Veneris iram saevientem sic adortae:  
530 'quid tale, domina, deliquit tuus filius, ut animo pervicaci voluptates illius impugnes  
531 et, quam ille diligit, tu quoque perdere gestias? quod autem, oramus, isti crimen, si  
532 puellae lepidae libenter arrisit? an ignoras eum masculum et iuvenem esse vel certe  
533 iam, quot sit annorum, oblita es? an, quod aetatem portat bellule, puer tibi semper  
534 videtur? mater autem tu et praeterea cordata mulier filii tui lusus semper explorabis  
535 curiose, et in eo luxuriam culpabis et amores revinces, et tuas artes tuasque delicias  
536 in formoso filio reprehendes? quis autem te deum, quis hominum patietur passim  
537 cupidines populis disseminantem, cum tuae domus amores amare coerceas et  
538 vitiorum muliebrium publicam praecludas officinam?'

539 Sic illae metu sagittarum patrocinio gratioso Cupidini, quamvis absentem,  
540 blandiebantur. sed Venus indignata ridicule tractari suas iniurias praeversis illis  
541 alterorsus concito gradu pelago viam capessit.

542 [6.1] Interea Psyche variis iactabatur discursibus, dies noctesque mariti  
543 investigationibus inquieta animo, tanto cupidior iratum licet, si non uxoriis blanditiis  
544 lenire, certe servilibus precibus propitiare. et prospecto templo quodam in ardui  
545 montis vertice 'unde autem,' inquit, 'scio an istic meus degat dominus?' et ilico dirigit  
546 citatum gradum, quem defectum prorsus adsiduis laboribus spes incitabat et votum.  
547 iamque naviter emensis celsioribus iugis pulvinaribus sese proximam intulit. videt  
548 spicas frumentarias in acervo et alias flexiles in corona et spicas hordei videt. erant et  
549 falces et operae messoriae mundus omnis, sed cuncta passim iacentia et incuria  
550 confusa et, ut solet aestu, laborantium manibus proiecta. haec singula Psyche curiose

551 dividit et discretim semota rite componit, rata scilicet nullius dei fana ac caerimonias  
552 neglegere se debere, sed omnium benivolam misericordiam corrogare.

553 [2] Haec eam sollicite seduloque curantem Ceres alma deprehendit et longum  
554 exclamat protinus: 'ain, Psyche miseranda? totum per orbem Venus anxia  
555 disquisitione tuum vestigium furens animi requirit, teque ad extremum supplicium  
556 expetit et totis numinis sui viribus ultionem flagitat: tu vero rerum mearum tutelam  
557 nunc geris et aliud quicquam cogitas nisi de tua salute?

558 Tunc Psyche pedes eius advoluta et uberi fletu rigans deae vestigia humumque  
559 verrens crinibus suis, multiugis precibus editis veniam postulabat: 'per ego te  
560 frugiferam tuam dexteram istam deprecor, per laetificas messium caerimonias, per  
561 tacita secreta cistarum, et per famulorum tuorum draconum pinnata curricula et  
562 glebae Siculae sulcamina, et currum rapacem et terram tenacem, et illuminarum  
563 Proserpinae nuptiarum demeacula et luminosarum filiae inventionum remeacula, et  
564 cetera quae silentio tegit Eleusinis Atticae sacrarium: miserandae Psyches animae,  
565 supplicis tuae, subsiste. inter istam spicarum congeriem patere vel pauculos dies  
566 delitescam, quoad deae tantae saeviens ira spatio temporis mitigetur vel certe meae  
567 vires diutino labore fessae quietis intervallo leniantur.'

568 [3] Suscipit Ceres: 'tuis quidem lacrimosis precibus et commoveor et opitulari cupio,  
569 sed cognatae meae, cum qua etiam foedus antiquum amicitiae colo, bonae praeterea  
570 feminae, malam gratiam subire nequeo. decede itaque istis aedibus protinus et quod  
571 a me retenta custoditaque non fueris optimi consule.'

572 Contra spem suam repulsa Psyche et afflicta duplici maestitia iter retrorsum  
573 porrigens inter subsitae convallis sublucidum lucum prospicit fanum sollerti fabrica  
574 structum. nec ullam vel dubiam spei melioris viam volens omittere, sed adire  
575 cuiuscumque dei veniam, sacratis foribus proximat. videt dona pretiosa et lacinias  
576 auro litteratas ramis arborum postibusque suffixas, quae cum gratia facti nomen  
577 deae, cui fuerant dicata, testabantur. tunc genu nixa et manibus aram tepentem  
578 amplexa deterisis ante lacrimis sic adprecatur:

579 [4] 'Magni Iovis germana et coniuga, sive tu Sami, quae sola partu vagituque et  
580 alimonia tua gloriatur, tenes vetusta delubra; sive celsae Carthaginis, quae te

581 virginem vectura leonis caelo commeantem percolit, beatas sedes frequentas; sive  
582 prope ripas Inachi, qui te iam nuptam Tonantis et reginam dearum memorat, inclitis  
583 Argivorum praesides moenibus; quam cunctus oriens Zygiam veneratur et omnis  
584 occidens Lucinam appellat: sis meis extremis casibus Iuno Sospita meque in tantis  
585 exanclatis laboribus defessam imminentis periculi metu libera. quod sciam, soles  
586 praegnatibus periclitantibus ultro subvenire.'

587 Ad istum modum supplicanti statim sese Iuno cum totius sui numinis augusta  
588 dignitate praesentat et protinus 'quam vellem' inquit, 'per fidem, nutum meum  
589 precibus tuis accommodare. sed contra voluntatem Veneris, nurus meae, quam filiae  
590 semper dilexi loco, praestare me pudor non sinit. tunc etiam legibus, quae servos  
591 alienos profugos invitis dominis vetant suscipi, prohibeor.'

592 [5] Isto quoque fortunae naufragio Psyche perterrita, nec indipisci iam maritum  
593 volatilem quiens, tota spe salutis deposita, sic ipsa suas cogitationes consulit: 'iam  
594 quae possunt alia meis aerumnis temptari vel adhiberi subsidia, cui nec dearum  
595 quidem, quamquam volentium, potuerunt prodesse suffragia? quo rursus itaque  
596 tantis laqueis inclusa vestigium porrigam, quibusque tectis vel etiam tenebris  
597 abscondita magnae Veneris inevitabiles oculos effugiam? quin igitur masculum  
598 tandem sumis animum et cassae speculae renuntias fortiter et ultroneam te dominae  
599 tuae reddis et vel sera modestia saevientes impetus eius mitigas? qui scias an etiam  
600 quem diu quaeritas illic in domo matris repperias?' sic ad dubium obsequium, immo  
601 ad certum exitium praeparata, principium futurae secum meditabatur obsecrationis.

602 [6] At Venus terrenis remediis inquisitionis abnuens caelum petit. iubet construi  
603 currum, quem ei Vulcanus aurifex subtili fabrica studiose poliverat et ante thalami  
604 rudimentum nuptiale munus obtulerat, limae tenuantis detrimento conspicuum et  
605 ipsius auri damno pretiosum. de multis quae circa cubiculum dominae stabulant  
606 procedunt quattuor candidae columbae et hilaris incessibus picta colla torquentes  
607 iugum gemmeum subeunt susceptaque domina laetae subvolant. currum deae  
608 prosequentes gannitu constrepenti lasciviunt passeret et ceterae quae dulce cantitant  
609 aves melleis modulis suave resonantes adventum deae pronuntiant. cedunt nubes et  
610 Caelum filiae panditur et summus aether cum gaudio suscipit deam, nec obvias  
611 aquilas vel accipitres rapaces pertimescit magnae Veneris canora familia.

612 [7] Tunc se protinus ad Iovis regias arces dirigit et petito superbo Mercuri, dei  
613 vocalis, operae necessariam usuram postulat. nec renuit Iovis caerulum supercilium.  
614 tunc ovans ilico, comitante etiam Mercurio, Venus caelo debeat eique sollicite serit  
615 verba:

616 'Fratr Arcadi, scis nempe sororem tuam Venerem sine Mercuri praesentia nil  
617 unquam fecisse nec te praeterit utique, quanto iam tempore delitescens ancillam  
618 nequiverim reperire. nil ergo superest quam tuo praeconio praemium  
619 investigationis publicitus edicere. fac ergo mandatum matures meum et indicia qui  
620 possit agnosci manifeste designes, ne, si quis occultationis illicitae crimen subierit,  
621 ignorantiae se possit excusatione defendere.' et simul dicens libellum ei porrigit ubi  
622 Psyches nomen continebatur et cetera. quo facto protinus domum secessit.

623 [8] Nec Mercurius omisit obsequium. nam per omnium ora populorum passim  
624 discurrens sic mandatae praedicationis munus exequatur: 'si quis a fuga retrahere  
625 vel occultam demonstrare poterit fugitivam regis filiam, Veneris ancillam, nomine  
626 Psychen, conveniat retro metas Murtias Mercurium praedicatorem, accepturus  
627 indicivae nomine ab ipsa Venere septem savia suavia et unum blandientis adpulsu  
628 linguae longe mellitum.'

629 Ad hunc modum pronuntiante Mercurio tanti praemii cupido certatim omnium  
630 mortalium studium adrexit. quae res nunc vel maxime sustulit Psyches omnem  
631 cunctationem. iamque fores ei dominae proximanti occurrit una de famulitione  
632 Veneris nomine Consuetudo, statimque quantum maxime potuit, exclamat: 'tandem,  
633 ancilla nequissima, dominam habere te scire coepisti? an pro cetera morum tuorum  
634 temeritate istud quoque nescire te fingis, quantos labores circa tuas inquisitiones  
635 sustinuerimus? sed bene, quod meas potissimum manus incidisti et inter Orci  
636 cancos iam ipsos haesisti, datura scilicet actutum tantae contumaciae poenas.'

637 [9] Et audaciter in capillos eius inmissa manu trahebat eam nequaquam renitentem.  
638 quam ubi primum inductam oblatamque sibi conspexit Venus, laetissimum  
639 cachinnum extollit et qualem solent frequenter irati, caputque quatiens et ascalpens  
640 aurem dexteram 'tandem,' inquit, 'dignata es socrum tuam salutare? an potius  
641 maritum, qui tuo vulnere periclitatur, intervire venisti? sed esto secunda, iam enim

642 excipiam te ut bonam nurum condecet'; et 'ubi sunt,' inquit, 'Sollicitudo atque  
643 Tristities, ancillae meae?' quibus intro vocatis torquendam tradidit eam. at illae  
644 sequentes erile praeceptum Psychen misellam flagellis afflictam et ceteris tormentis  
645 excruciatam iterum dominae conspectui reddunt. tunc rursus sublato risu Venus 'et  
646 ecce,' inquit, 'nobis turgidi ventris sui lenocinio commovet miserationem, unde me  
647 praeclara subole aviam beatam scilicet faciat. felix vero ego, quae in ipso aetatis meae  
648 flore vocabor avia, et vilis ancillae filius nepos Veneris audiet. quanquam inepta ego  
649 frustra filium dicam; impares enim nuptiae et praeterea in villa sine testibus et patre  
650 non consentiente factae legitimae non possunt videri ac per hoc spurius iste nascetur,  
651 si tamen partum omnino perferre te patiemur.'

652 [10] His editis involat eam vestemque plurifariam diloricat capilloque discisso et  
653 capite conquassato graviter affligit, et accepto frumento et hordeo et milio et  
654 papavere et cicere et lente et faba commixtisque acervatim confusis in unum  
655 grumulum sic ad illam: 'videris enim mihi tam deformis ancilla nullo alio sed tantum  
656 sedulo ministerio amatores tuos promereri: iam ergo et ipsa frugem tuam  
657 periclitabor. discerne seminum istorum passivam congeriem singulisque granis rite  
658 dispositis atque seiugatis ante istam vesperam opus expeditum approbato mihi.'

659 Sic assignato tantorum seminum cumulo ipsa cenae nuptiali concessit. nec Psyche  
660 manus admolitur inconditae illi et inextricabili moli, sed immanitate praecepti  
661 consternata silens obstupescit. tunc formicula illa parvula atque ruricola, certa  
662 difficultatis tantae laborisque, miserta contubernalis magni dei socrusque saevitiam  
663 execrata, discurrens naviter convocat corrogatque cunctam formicarum accolarum  
664 classem: 'miseremini, terrae omniparentis agiles alumnae, miseremini et Amoris  
665 uxori, puellae lepidae, periclitanti prompta velocitate succurrite.' ruunt aliae  
666 superque aliae sepedum populorum undae summoque studio singulae granatim  
667 totum digerunt acervum separatimque distributis dissitisque generibus e conspectu  
668 perneciter abeunt.

669 [11] Sed initio noctis e convivio nuptiali vino madens et fraglans balsama Venus  
670 remeat totumque revincta corpus rosis micantibus visaque diligentia miri laboris  
671 'non tuum,' inquit, 'nequissima, nec tuarum manuum istud opus, sed illius, cui tuo,  
672 immo et ipsius, malo placuisti': et frusto cibarii panis ei proiecto cubitum facessit.

673 interim Cupido solus interioris domus unici cubiculi custodia clausus coerebatur  
674 acriter, partim ne petulanti luxurie vulnus gravaret, partim ne cum sua cupita  
675 conveniret. sic ergo distentis et sub uno tecto separatis amatoribus taetra nox  
676 exanclata.

677 Sed Aurora commodum inequitante vocatae Psychae Venus inquit talia: 'videsne illud  
678 nemus, quod fluvio praeterlucens ripisque longis attenditur, cuius imi gurgites  
679 vicinum fontem respiciunt? oves ibi nitentes aurique colore florentes incustodito  
680 pastu vagantur. inde de coma pretiosi velleris floccum mihi confestim quoquo modo  
681 quaesitum afferas censeo.'

682 [12] Perrexit Psyche volenter non obsequium quidem illa functura, sed requiem  
683 malorum praecipitio fluvialis rupis habitura. sed inde de fluvio musicae suavis  
684 nutricula, leni crepitu dulcis aerae divinitus inspirata, sic vaticinatur arundo viridis:  
685 'Psyche, tantis aerumnis exercita, neque tua miserrima morte meas sanctas aquas  
686 polluas nec vero istud horae contra formidabiles oves feras aditum, quoad de solis  
687 fragrantia mutuatae calorem truci rabie solent efferru cornuque acuto et fronte saxea  
688 et non nunquam venenatis morsibus in exitium saevire mortalium; sed dum meridies  
689 solis sedaverit vaporem et pecua spiritus fluvialis serenitate conquieverint, poteris  
690 sub illa procerissima platano, quae mecum simul unum fluentum bibit, latenter  
691 abscondere. et cum primum mitigata furia laxaverint oves animum, percussis  
692 frondibus attigui nemoris lanosum aurum repperies, quod passim stirpibus convexis  
693 obhaerescit.'

694 [13] Sic harundo simplex et humana Psychen aegerrimam salutem suam docebat. nec  
695 auscultatu paenitendo diligenter instructa illa cessavit, sed observatis omnibus  
696 furatrina facili flaventis auri mollitie congestum gremium Veneri reportat. nec tamen  
697 apud dominam saltem secundi laboris periculum secundum testimonium meruit, sed  
698 contortis superciliis subridens amarum sic inquit: 'nec me praeterit huius quoque  
699 facti auctor adulterinus. sed iam nunc ego sedulo periclitabor an oppido forti animo  
700 singularique prudentia sis praedita. videsne insistentem celsissimae illi rupi montis  
701 ardui verticem, de quo fontis atri fuscae defluunt undae proxumaeque conceptaculo  
702 vallis inclusae Stygias irigant paludes et rauca Cocyti fluenta nutriunt? indidem  
703 mihi de summi fontis penita scaturrigine rorem rigentem hauritum ista confestim

704 defers urnula.' sic aiens crustallo dedolatum vasculum, insuper ei graviora  
705 comminata, tradidit.

706 [14] At illa studiose gradum celerans montis extremum petit tumulum certe vel illic  
707 inventura vitae pessimae finem. sed cum primum praedicti iugi conterminos locos  
708 appulit, videt rei vastae letalem difficultatem. namque saxum immani magnitudine  
709 procerum et inaccessa saebritate lubricum mediis e faucibus lapidis fontes horridos  
710 evomebat, qui statim proni foraminis lacunis editi perque proclive delapsi et angusti  
711 canalis exarato contacti tramite proxumam convallem latenter incidebant. dextra  
712 laevaue cautibus cavatis proserpunt et longa colla porrecti saeviant saevi dracones  
713 inconivae vigiliae luminibus addictis et in perpetuam lucem pupulis excubantibus.  
714 iamque et ipsae semet muniebant vocales aquae. nam et 'discede' et 'quid facis? vide'  
715 et 'quid agis? cave' et 'fuge' et 'peribis' subinde clamant. sic impossibilitate ipsa  
716 mutata in lapidem Psyche, quamvis praesenti corpore, sensibus tamen aberat et  
717 inextricabilis periculi mole prorsus obruta lacrimarum etiam extremo solacio carebat.

718 [15] Nec Providentiae bonae graves oculos innocentis animae latuit aerumna. nam  
719 supremi Iovis regalis ales illa repente propansis utrimque pinnis affuit rapax aquila  
720 memorque veteris obsequii, quo ductu Cupidinis Iovi pocillatorem Phrygium  
721 sustulerat, oportunam ferens opem deque numen in uxoris laboribus percolens alti  
722 culminis diales vias deserit et ob os puellae praevolans incipit: 'at tu, simplex  
723 alioquin et expers rerum talium, sperasne te sanctissimi nec minus truculenti fontis  
724 vel unam stillam posse furari vel omnino contingere? diis etiam ipsique Iovi  
725 formidabiles aquas istas Stygias vel fando comperisti, quodque vos deieratis per  
726 numina deorum, deos per Stygis maiestatem solere? sed cedo istam urnulam.'

727 Et protinus adreptam completum aquae festinat libratisque pinnarum nutantium  
728 molibus inter genas saevientium dentium et trisulca vibramina draconum remigium  
729 dextra laevaue porrigens volentes aquas et, ut abiret innoxius, praestantes excipit,  
730 commentus ob iussum Veneris petere eique se praeministrare, quare paulo facilius  
731 adeundi fuit copia.

732 [16] Sic acceptam cum gaudio plenam urnulam Psyche Veneri citata rettulit. Nec  
733 tamen nutum deae saevientis vel tunc expiare potuit. nam sic eam maiora atque



734 peiora flagitia comminans appellat renidens exitiabile: 'iam tu quidem maga videris  
735 quaedam mihi et alta prorsus malefica, quae talibus praeceptis meis obtemperasti  
736 naviter. sed adhuc istud, mea pupula, ministrare debebis. sume istam pyxidem,' et  
737 dedit; 'protinus usque ad inferos et ipsius Orci ferales penates te derige. tunc  
738 conferens pyxidem Proserpinae 'petit de te Venus,' dicit, 'modicum de tua mittas ei  
739 formonsitate vel ad unam saltem dieculam sufficiens. nam quod habuit, dum filium  
740 curat aegrotum, consumpsit atque contrivit omne.' sed haud immaturius redito, quia  
741 me necesse est indidem delitam theatrum deorum frequentare.'

742 [17] Tunc Psyche vel maxime sensit ultimas fortunas suas et velamento reiecto ad  
743 promptum exitium sese compelli manifeste comperit. quidni? quae suis pedibus  
744 ultro ad Tartarum manesque commeare cogere. nec cunctata diutius pergit ad  
745 quampiam turrim praealtam, indidem sese datura praecipitem; sic enim rebatur ad  
746 inferos recte atque pulcherrime se posse descendere. sed turris prorumpit in vocem  
747 subitam et 'quid te,' inquit, 'praecipitem, o misella, quaeris extinguere? quidque iam  
748 novissimo periculo laborique isto temere succumbis? nam si spiritus corpore tuo  
749 semel fuerit seiugatus, ibis quidem profecto ad imum Tartarum, sed inde nullo pacto  
750 redire poteris. mihi ausculta.

751 [18] 'Lacedaemo Achaiae nobilis civitas non longe sita est: huius conterminam deviis  
752 abditam locis quaere Taenarum. inibi spiraculum Ditis, et per portas hiantes  
753 monstratur iter invium, cui te limine transmeato simul commiseris, iam canale  
754 directo perges ad ipsam Orci regiam. sed non hactenus vacua debebis per illas  
755 tenebras incedere, sed offas polentae mulso concretas ambabus gestare manibus, at in  
756 ipso ore duas ferre stipes. iamque confecta bona parte mortiferae viae continaberis  
757 claudum asinum lignorum gerulum cum agasone simili, qui te rogabit decidentis  
758 sarcinae fusticulos aliquos porrigas ei, sed tu nulla voce deprompta tacita praeterito.  
759 nec mora cum ad flumen mortuum venies, cui praefectus Charon, protenus expetens  
760 portorium, sic ad ripam ulteriorem sutili cumba deducit commeantes. ergo et inter  
761 mortuos avaritia vivit nec Charon ille et Ditis exactor, tantus deus, quicquam gratuito  
762 facit, sed moriens pauper viaticum debet quaerere et aes si forte prae manu non  
763 fuerit, nemo eum expirare patietur. huic squalido seni dabis nauli nomine de stipibus  
764 quas feres alteram, sic tamen ut ipse sua manu de tuo sumat ore. nec setius tibi

765 pigrum fluentum transmeanti quidam supernatans senex mortuus putris adtollens  
766 manus orabit ut eum intra navigium trahas, nec tu tamen inlicita adflectare pietate.

767 [19] 'Transito fluvio modicum te progressam textrices orabunt anus telam struentes  
768 manus paulisper accommodes, nec id tamen tibi contingere fas est. nam haec omnia  
769 tibi et multa alia de Veneris insidiis orientur, ut vel unam de manibus omittas  
770 offulam. nec putes futile istud polentacium damnum leve; altera enim perdita lux  
771 haec tibi prorsus denegabitur. canis namque praegrans, teriugo et satis amplo  
772 capite praeditus, immanis et formidabilis, tonantibus oblatrans faucibus mortuos,  
773 quibus iam nil mali potest facere, frustra territando ante ipsum limen et atra atria  
774 Proserpinae semper excubans servat vacuam Ditis domum. hunc offrenatum unius  
775 offulae praeda facile praeteribis ad ipsamque protinus Proserpinam introibis, quae te  
776 comiter excipiet ac benigne, ut et molliter assidere et prandium opipare suadeat  
777 sumere. sed tu et humi reside et panem sordidum petatum esto, deinde nuntiatio quid  
778 adveneris, susceptoque quod offeretur rursus remeans canis saevitiam offula reliqua  
779 redime ac deinde avaro navitae data quam reservaveras stipe transitoque eius fluvio  
780 recolens priora vestigia ad istum caelestium siderum redies chorum. sed inter omnia  
781 hoc observandum praecipue tibi censeo, ne velis aperire vel inspicere illam quam  
782 feres pyxidem vel omnino divinae formonsitatis abditum curare curiosius  
783 thensaurum.'

784 [20] Sic turris illa prospicua vaticinationis munus explicuit. nec morata Psyche pergit  
785 Taenarum sumptisque rite stipibus illis et offulis infernum decurrit meatum  
786 transitoque per silentium asinario debili et amnica stipe vectori data, neglecto  
787 supernatantis mortui desiderio et spretis textricum subdolis precibus et offulae cibo  
788 sopita canis horrenda rabie domum Proserpinae penetrat. nec offerentis hospita  
789 sedile delicatum vel cibum beatum amplexa, sed ante pedes eius residens humilis  
790 cibario pane contenta Veneriam pertulit legationem. statimque secreto repletam  
791 conclusamque pyxidem suscipit et offulae sequentis fraude caninis latratibus  
792 obseratis residuaque navitae reddita stipe longe vegetior ab inferis recurrit. et  
793 repetita atque adorata candida ista luce, quanquam festinans obsequium terminare,  
794 mentem capitur temeraria curiositate et 'ecce,' inquit, 'inepta ego divinae

795 formonsitatis gerula, quae nec tantillum quidem indidem mihi delibo vel sic illi  
796 amatori meo formonso placitura,' et cum dicto reserat pyxidem.

797 [21] Nec quicquam ibi rerum nec formonsitas ulla, sed infernus somnus ac vere  
798 Stygius, qui statim coperculo revelatus invadit eam crassaque soporis nebula cunctis  
799 eius membris perfunditur et in ipso vestigio ipsaque semita conlapsam possidet. et  
800 iacebat immobilis et nihil aliud quam dormiens cadaver.

801 Sed Cupido iam cicatrice solida revalescens nec diutinam suae Psyches absentiam  
802 tolerans per altissimam cubiculi quo cohibebatur elapsus fenestram reffectisque  
803 pennis aliquanta quiete longe velocius provolans Psychen accurrit suam detersoque  
804 somno curiose et rursus in pristinam pyxidis sedem recondito Psychen innoxio  
805 punctulo sagittae suae suscitatur et 'ecce,' inquit, 'rursus perieras, misella, simili  
806 curiositate. sed interim quidem tu provinciam, quae tibi matris meae praecepto  
807 mandata est, exsequere naviter, cetera egomet videro.' his dictis amator levis in  
808 pinnas se dedit, Psyche vero confestim Veneri munus reportat Proserpinae.

809 [22] Interea Cupido amore nimio peresus et aegra facie, matris suae repentinam  
810 sobrietatem pertimescens, ad armillum redit alisque pernibus caeli penetrato  
811 vertice magno Iovi supplicat suamque causam probat. tunc Iuppiter prehensa  
812 Cupidinis buccula manuque ad os suum relata consaviat atque sic ad illum 'licet tu,'  
813 inquit, 'domine fili, numquam mihi concessu deum decretum servaris honorem, sed  
814 istud pectus meum, quo leges elementorum et vices siderum disponuntur,  
815 convulneraris assiduis ictibus crebrisque terrenae libidinis foedaveris casibus  
816 contraque leges et ipsam Iuliam disciplinamque publicam turpibus adulteriis  
817 existimationem famamque meam laeseris in serpentes, in ignes, in feras, in aves et  
818 gregalia pecua serenos vultus meos sordide reformando, at tamen modestiae meae  
819 memor quodque inter istas meas manus creveris, cuncta perficiam, dum tamen scias  
820 aemulos tuos cavere ac, si qua nunc in terris puella praepollet pulcritudine,  
821 praesentis beneficii vicem per eam mihi repensare te debere.'

822 [23] Sic fatus iubet Mercurium deos omnes ad contionem protinus convocare ac, si  
823 qui coetu caelestium defuisset, in poenam decem milium nummum conventum iri

824 pronuntiare. quo metu statim completo caelesti theatro pro sede sublimi sedens  
825 procerus Iuppiter sic enuntiat:

826 'Dei conscripti Musarum albo, adolescentem istum quod manibus meis alumnatus  
827 sim, profecto scitis omnes. cuius primae iuventutis caloratos impetus freno quodam  
828 coercendos existimavi; sat est cotidianis eum fabulis ob adulteria cunctasque  
829 corruptelas infamatum. tollenda est omnis occasio et luxuria puerilis nuptialibus  
830 pedicis alliganda. puellam elegit et virginitate privavit: teneat, possideat, amplexus  
831 Psychen semper suis amoribus perfruatur.'

832 Et ad Venerem conlata facie, 'nec tu,' inquit, 'filia, quicquam contristare nec prosapiae  
833 tantae tuae statuque de matrimonio mortali metuas. iam faxo nuptias non impares,  
834 sed legitimas et iure civili congruas.' et ilico per Mercurium arripi Psychen et in  
835 caelum perducere iubet. porrecto ambrosiae poculo, 'sume,' inquit, 'Psyche, et  
836 immortalis esto, nec umquam digredietur a tuo nexu Cupido, sed istae vobis erunt  
837 perpetuae nuptiae.'

838 [24] Nec mora cum cena nuptialis affluens exhibetur. Accumbebat summum torum  
839 maritus, Psychen gremio suo complexus. sic et cum sua Iunone Iuppiter ac deinde  
840 per ordinem toti dei. tunc poculum nectaris, quod vinum deorum est, Iovi quidem  
841 suus pocillator ille rusticus puer, ceteris vero Liber ministrabat. Vulcanus cenam  
842 coquebat, Horae rosis et ceteris floribus purpurabant omnia, Gratiae spargebant  
843 balsama, Musae voce canora personabant; Apollo cantavit ad citharam, Venus suavi  
844 musicae superingressa formosa saltavit, scaena sibi sic concinnata, ut Musae  
845 quidem chorum canerent aut tibias inflarent, Saturus et Paniscus ad fistulam  
846 dicerent. sic rite Psyche convenit in manum Cupidinis et nascitur illis maturo partu  
847 filia, quam Voluptatem nominamus.

848 [25] Sic captivae puellae delira et temulenta illa narrabat anicula; sed astans ego non  
849 procul dolebam mehercules quod pugillares et stilum non habebam qui tam bellam  
850 fabellam praenotarem.